

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCLXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ter eum averfari ipfa vidit, constitui cupiat, dici non potest. Sed & ita aliquando nobiscum urget Electorem ad ferid agendum in rebus Calvinisticis, ut saepe optimi principis, in angustiam redacti, & officium suum promittentis, misereat. De Lautenbachio quod scripsi ad Dn. Thomam, factum est maturè, antequam Dn. Schopperi mentio facta fuit; & scripsi tantum, affulgere nobis spem promovendi illum. Malè igitur faceret, si ad illud nunc descenderet. Ego planè in ea sententia persisto, Dn. Schoppium esse Doctorem Philippo adjungendum. De D. Kemnatio nihil adhuc cognoscere potui, licet occasionem dederim Electori, de eo colloquendi. Sed tantum respondebat: *Er hat mir das Herz gar gestolen.* Quod reliquum est, cum propter festinationem D. Suleeri claudere cogar Epistolam, vos omnes DEO commendo, paratus ad omne officium, D. D. Philippo, ubi advenerit, præstandum. M. Ulrico jam scribere non possum, rogo igitur, ut his quoque sibi responsum, & satisfactum existimare velit. Heidelbergæ, 14. Septemb. Anno 79.

T. R. H.

*observantiff.*

Petrus Patiens.

CCLXIV.

*S. D Reverende & clarissime vir, compater carissime.*

Cum brevi ex his terris me in cœlestem patriam migraturum sciam, adhuc semel invisere loca, quæ puer perreptavi, & fratri ac fororibus coram valedicere volui. Cupio autem cum Davide Razio Wormatiense discipulo tuo colloqui. Oro igitur, ut jubeas eum, proxima die Solis aut Lunæ 23. vel 24. Septembris, Menzingam expatiari, & apud fratrem meum Josuam divertere, eumque præmonere, ut superius hypocæstum nobis ad bidui aut tridui habitationem apparet. Mea tibi officia vicissim constant. Si quid de patriæ ecclesiæ aut scholæ statu *úgiorozoz* habes, quæso significes. Nam tabellarius, cui haud dubiè aliquid dedisti, in itinere mihi non occurrit. Bonè vale, Manheimiæ ad Neccari & Rheni confluxum.

David Chytræus.

CCLXV.

*Salutem in Servatore Domino.*

Veniunt in celeberrimam Academiam vestram, viri clarissimi: Generosi Barones ab Eck, &c. ut ibi uberiorem ingenii cultum percipiant. Quia  
Gggg  
verò

verò ipsorum propinqui intelligunt, quantum interfit, ut nobilitas, quæ ad literas & morum elegantiam elaborat, præceptores habeat idoneos, nos majorem in modum rogarunt, ut ad vos diligenter accuratèque perferberemus ac rogaremus, ut pro vestra egregia prudentia & doctrina, pium aliquem, sobrium, & eruditum præceptorem, præficiatis his Baronibus. Deinde si forte ille officium non faceret, id vel propinquis ipsorum vel certe nobis, primo quoque tempore significetis, ut alius substitui ei possit. Nolumus autem nos pluribus ad hoc officium præstandum invitare: nam cum omnem curam & diligentiam in eo ponatis inprimis, ut juvenus pietate & literis erudiatur, non dubitamus, vos in eo sedulo elaboraturos, ut nobiles illi adolescentes & meliores ad suos redeant & doctiores. Quæ res & DEO Opt. Maximo probabitur, & vos nomine diligentæ commendabit omnibus. Digni autem inprimis hi adolescentes sunt, ut eorum ratio habeatur: nam ipsorum parentes & majores ad propagandum Evangelium Christi summo & indefesso studio contenderunt, & quidem non sine periculo: propterea filii, qui vestigiis illorum successuri sunt, digni certe videntur, quorum studia omni via ac ratione promovèantur. Bene & felicissime in Jesu Christo valete, viri Clarissimi, Datæ IIII. Non. Octobr. Anno Salutis 79.


D. D. V.

Deditissimi

Theodoricus Sneyffius, D.  
Jacobus Heerbrand, D.

*Inscriptio:*

Venerandis ac Clariss. viris, pietate, eruditione, sapientia, autoritate præstantissimis, S. Theologiae Doctoribus, & Professoribus; D. Johanni Marbachio, Ecclesiarum Argentinensium Superintendenti digniss. & D. Joanni Pappo, Evangelium Christi Argentina in summo templo, fideliter docenti, Dominis & amicis suis colendis.



CCLXVI.

*Salutem in Domino.*

Gratias tuæ R. ago, Vir Clarissime, non modo pro donato libro, sed etiam pro suscepto labore, in Tossani mendaciis & calumniis refutandis suscepto. Exemplar quod R. tua Illustrissimo nostro Principi dono misit, unâ